



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Tractatvs VII. De Interpretatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

TRACTATUS VI.

D E

POST-PRÆDICAMENTIS.

1. **D**E Post-prædicamentis Aristotelis satis suprà in Præparamento Logico.

TRACTATUS VII.

IN LIBROS

DE INTERPRETATIONE.

1. **I**c Liber à Græcis *Perihermenias* inscribitur, à Latinis *de Interpretatione*, id est, enuntiatione, eò quòd hæc sit mentis interpres. Aristoteles autem in illo agit 1^o de Signis. 2^o de Nomine. 3^o de Verbo. 4^o de Oratione. 5^o de Propositione, de quibus permulta diximus in Præparamento Logico; quæ autem difficiliora, & quæ majori digna discussione videbantur, in hunc locum rejecimus: quare, &c. sit

DUBIUM I.

Quodnam sit objectum propositionis mentalis.

- II. **A**ntè Resolutionem
Suppono 1^o. Propositione quidem objectivam esse subjectum, sive objectum Propositionis mentalis, & significatum vocalis; sed, cum in Propositione illa objectiva sit Propositionis mentalis objectum materiale & formale, directum & indirectum; abs re non erit & supervacaneum de objecto Propositionis mentalis dubium speciale instituisse.

III. Suppono 2^o. objectum Propositionis mentalis esse duplex, materiale & formale: materiale est id, circa quod versatur Propositio mentalis, ac proinde est ipsa Propositio objectiva, sive ipsa enuntiabile: formale est ipsa ratio propter quam Propositio mentalis affirmat vel negat, de qua latius Resolut. 2^a.

IV. Suppono 3^o. objectum materiale Propositionis mentalis esse duplex: unum proximum & directum, & est, quod per se, quasi in recto, ab actu tangitur: aliud remotum & indirectum, & est, quod tantum, quia directo conjungitur, & quasi in obliquo, ab actu tangitur.

V. Suppono 4^o. dubium esse posse de duplici Propositione mentali: 1^a. scilicet seu directa, & 2^a. seu reflexa: 1^a. seu directa est illa, quam 1^o. format ille, qui Propositionem vocalem facit: 2^a. seu reflexa est illa, quæ in hanc propositionem vocalem tendit, & consequenter in Propositionem mentalem, pro qua supponitur. His suppositis sit

RESOLUTIO I.

VI. **D**ico 1^o. objectum proximum & directum Propositionis mentalis primæ & directæ est *identitas*, si affirmativa sit; *non identitas*, si negativa sit.

VII. Probatur objectum proximum & directum Propositionis mentalis est id, quod proximè & directè pro mentali supponitur, vel ut alii, est id quod proximè & directè Propositionem mentalem significat: sed *identitas* proximè & immediatè supponitur pro mentali affirmativa, *non identitas* pro mentali negativa, eamque significat, ergò, &c. Probatur minor, quia copula *est* proximè & directè significat Propositionem mentalem affirmativam *non est* negativam; sed *ly est* proximè & directè significat *identitatem*, *ly non est* proximè & directè significat *non identitatem*, ergò, &c.

VIII. Confirmatur proximum & directum Propositionis mentalis objectum materiale, est id, circa quod proximè & directè versatur Propositio mentalis: sed mentalis affirmativa proximè & directè versatur in actu signato, circa *identitatem objectivam*, negativa circa *non identitatem*, ergò, &c.

IX. Dixi *objectivam*, quia Propositio 1^a. & directa mentalis affirmativa, non tendit in *identitatem formalem* factam & in actu signato, sed eam in actu exercito facit, per hoc scilicet, quod fiat & exerceatur: sic 1^a. & directa negativa non tendit in *non identitatem formalem* factam & in actu signato; nam alioqui negaret *non identitatem formalem*, essetque Propositio affirmativa *identitatis formalis*; quia negare *non identitatem formalem*.

formalem in actu signato est affirmare *identitatem formalem*; sed eam facit per hoc, quod ipsa Propositio fiat & exerceatur. Hinc autem

x. Sequitur negationem objectivam *non identitatis objectivæ* esse affirmationem objectivam: item negationem formalem *non identitatis formalis* esse affirmationem formalem, non autem negationem formalem *non identitatis objectivæ*; quia ut duæ negationes faciant affirmationem, debent esse ejusdē Generis, ambæ scilicet objectivæ, vel ambæ formales, alioqui non daretur iudicium negativum, quod est absurdum.

RESOLUTIO II.

xi. **D**ico 2^o. objectum remotum & indirectum Propositionis mentalis, sunt prædicatum & subjectum.

xii. Probatur, quia Propositio ea tantum attingit, eo quod sunt medio, *identitati* scilicet vel *non identitati* conjuncta, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xiii. **D**ico 3^o. objectum proximum & directum Propositionis mentalis 2^a. seu reflexæ est *identitas* vel *non identitas*, sive Propositio sit affirmativa, sive negativa.

xiv. Probatur, quia in omni Propositione mentali reflexa, affirmatur, vel negatur *identitas* vel *non identitas*, ergo, &c. Probatur antecedens; inter argumentandum proponenti, *Petrus est animal*, *Petrus non est lapis*, responderetur concedendo, sive affirmative; proponenti vero, *Petrus non est animal*, *Petrus est lapis*, responderetur negando, sive negative; sed ibi affirmatur *identitas* vel *non identitas*; hic vero negatur *identitas* vel *non identitas*, ergo in omni Propositione affirmatur vel negatur *identitas* vel *non identitas*. Probatur consequentia; quia non apparet, cur in aliis Propositionibus id similiter non contingat, ergo, &c.

xv. Confirmatur: Responsalis inter argumentandum semper directe tendit in *identitatem* vel *non identitatem* prædicati cum subjecto, in actu signato ab Argumentante propositam, idque per actum reflexum supra actum Argumentantis: sed sæpe concedit *identitatem*, ut cum Argumentans dicit *Petrus est animal*, & etiam *non identitatem*, ut cum dicit *Petrus non est lapis*; contra vero etiam sæpe negat *identitatem* propositam, ut cum Argumentans dicit *Petrus est lapis*; & sæpe negat *non identitatem*, ut cum dicit, *Petrus non est animal*, ergo, &c. Ex dictis

xvi. Colliges 1^o actum affirmativum 1^{um} & directum non tendere in *identitatem* sui objecti materialis in actu signato; quia alias eam factam præsuponeret, cum tantum eam faciat per hoc, quod ipse fiat ab intellectu, & tendat in duo, quæ in actu exercito identificet idem dicendum de actu negativo respectu *non identitatis*; nam si in actu signato in *non identitatem* tenderet, iam tolleretur omnis actus negativus, quia actus in actu signato negans *non identitatem*, affirmat *identitatem*.

xvii. Colliges 2^o actum affirmativum & negativum reflexum tendere in *identitatem* & *non identitatem* in actu signato, quia iam supponit eam per 1^{um} directum actum factam, ipsiisque in actu signato proponitur: unde omnis actus mentalis reflexus est affirmativus; nam si actus reflexus tendat in

identitatem eam affirmat, vel negat; si affirmet, iam patet quod sit affirmativus; si illam neget, est etiam affirmativus; quia negare *identitatem* in actu signato revera est affirmare *non identitatem*, quod ex contradictorio patet; sicut enim negare *non identitatem* in actu signato, est affirmare *identitatem*; ita negare *identitatem* in actu signato est affirmare *non identitatem*; si vero actus reflexus tendat in *non identitatem*, etiam eam affirmat, vel negat; si affirmet, iam clarum est esse affirmativum; si neget, est etiam affirmativus, quia negare in actu signato *non identitatem* revera est affirmare *identitatem*.

RESOLUTIO IV.

xviii. **D**ico 4^o. objectum formale Propositionis mentalis affirmativæ est ipsa ratio assentiendi; negativæ est ipsa ratio dissentiendi. Ita Divus Thomas 2^a. 2^a. q. 1^a. art. 1^o. & alii communiter.

xix. Probatur ex communi omnium Philosophorum. Ratio, quæ movetur intellectus, vel alia potentia, ad suum actum, vocatur objectum formale actus, ergo ratio, quæ movetur intellectus ad assentiendum sive affirmandum est objectum formale Propositionis affirmativæ; & illa, quæ movetur ad dissentiendum sive negandum est objectum formale Propositionis negativæ. Sed

xx. Petes quid sit illa ratio assentiendi, vel dissentiendi?

xxi. Respondeo; quandoque esse ipsam evidentiam terminorum, ut in Propositionibus immediatis, quodlibet est vel non est. Totum est majus sua parte; vel, ut alii, claram apprehensionem incomplexam *identitatis* vel *non identitatis* extremorum inter se; quandoque tamen opus est medio aliquo & argumento ad intellectum proximè disponendum, si nempe *identitas* vel *non identitas* non sufficienter in apprehensione incomplexa appareat. Hinc ulterius

xxii. Divides Propositionem in immediatam & mediatam.

xxiii. Immediata est, cui assentimur ex sola evidentia terminorum, ut *omne totum est majus sua parte*.

xxiv. Mediata est, cui non nisi assentimur propter aliquod medium sive argumentum, ut, *est ignis sub camino*, quia nempe videmus fumum; *homo est rationalis*, quia experimur illum ratiocinari.

DUBIUM II.

An Propositio vocalis separata ab intellectu sit vera Propositio.

xxv. **D**ixi separata ab intellectu, quia conjuncta actui intellectus enuntiativo; pro quo supponitur, rationem veræ Propositionis emendicare passim à Philosophis admittitur. Quare sic

RESOLUTIO.

xxvi. **D**ico Propositio vocalis etiam separata ab actu intellectus, est verè Propositio.

xxvii. Probatur 1^o. ex mente Aristotelis, qui libro 10. Topic. definiens Propositionem, pro Genere definiti assignat orationem, quæ est indifferens ad vocalem & mentalem. Nam lib. 1^o. de Interpret. Cap. 4^o. docet vocem esse Genus orationis, ergo, &c.

xxviii. Probatur 2^o. propositio definitur ali-

cujus de aliquo affirmativa, negativæ oratio; sed talis est Propositio vocalis separata ab omni actu intellectus; ergo est verè Propositio.

xxix. Probatur minor; affirmare est significare aliquid alicui inesse, negare est significare aliquid alicui non inesse. Ita Aristoteles 1^o. de Interp. Cap. 5^o. sed Propositio separata ab omni actu intellectus significat aliquid alicui inesse, vel non inesse, ergo, &c. probatur minor, quia hæc propositio vocalis, homo est bonus, significat bonitatem inesse homini; hæc verò, homo non est bonus, significat bonitatem non inesse homini, ergo, &c.

xxx. Probatur 3^o. cuicumque conveniunt proprietates, convenit essentia; sed propositioni vocali, &c. conveniunt proprietates propositionis, scilicet esse veram, vel falsam, ergo, &c.

xxxi. Probatur minor 1^o. quia, ut ait Aristoteles, verum & falsum in compositione: id est, affirmatione; & divisione, id est, negatione, consistit; sed Propositioni vocali convenit affirmatio & negatio, ergo, &c.

xxxii. Probatur minor 2^o. veritas propositionis vocalis est conformitas significationis cum re significata; falsitas diffinitas: sed hæc Propositio, Deus est trinus, habet significationis conformitatem cum re significata; & hæc, Deus non est trinus, diffinitatem, ergo & veritatem ac falsitatem. Hinc patet veritatem Propositionis vocalis non debere considerari secundum entitatem vocum, sed secundum entitatem significatorum per voces, sive (quod in idem recidit) voces ad veritatem Propositionis vocalis debent considerari ut significativæ, quomodo Tract. 2^o. Dub. 5^o. diximus illas esse Univerfales; non verò ut talia entia, quomodo sunt singulares tantum, & nullæ Univerfales.

xxxiii. Objicies 1^o. Propositio vocalis habet ab aliquo actu mentis, quod hoc, vel illud significet; ergo ratio Propositionis non convenit Propositioni vocali ab actu mentis separate.

xxxiv. Respondeo distinguendo antecedens, Propositio vocalis habet ab aliquo actu primum imponente vocibus significationem, quod hoc vel illud significet, concedo antecedens: ab actu mentis, pro quo supponitur, nego antecedens: contrarium enim per Resolutionem nostram statuimus: similiter distingue consequens.

xxxv. Objicies 2^o. solius est intellectus affirmare vel negare, ergo Propositio vocalis separata ab actu mentis, non est affirmativa, vel negativa.

xxxvi. Respondeo distinguendo antecedens, solius est intellectus affirmare assertivè & judicativè concedo antecedens; significativè seu significando nego antecedens: contrarium enim constat ex Aristotele 1^o. de Interp. Cap. 5^o. ubi dicit, affirmare esse significare inesse, negare significare non inesse. Sic enim habet: Una autem affirmatio & negatio est, quæ unum de uno (puta inesse vel non inesse, ut præmiserat in initio) significat. Significare verò est proprium vocum.

xxxvii. Instabis, indè sequeretur psittacum posse affirmare & negare, ac proindè facere veras Propositiones.

xxxviii. Respondeo psittacum improprie affirmare & negare, &c. sicut improprie format voces; si verò proprie formaret voces, etiam proprie affirmaret, vel negaret, formando tres voces, quarum una esset prædicatum, alia copula, tertia subiectum; quia illæ necessario essent significativæ con-

formes vel diffformes suo objecto.

xxxix. Virgebis, si Propositio vocalis esset affirmativa, & per consequens vera, vel falsa, prout conformis vel difformis suo objecto; qui dormiens diceret, Deus non est trinus, mentiretur, & esset hæreticus; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

xl. Respondeo negando sequelam majoris, quia istæ denominationes mendacis & hæretici, non secundum falsitatem vocum significantium, sive in significando, accipi debent; sed secundum falsitatem vocum asserentium & judicantium in asserendo & judicando; ac proindè non secundum diffmitatem vocum cum suis significatis præcisè, sed iudicii & dictionis assertivæ, cui conjunguntur & subsunt.

xli. Objicies 1^o. Propositio vocalis negativa non est vera Propositio, ergo, &c. probatur antecedens, quia ipsi deest copula, nam cum dicat non est, dicit non copulam, sive negationem copulæ, ergo, &c.

xlii. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo assumptum, ipsi deest copula affirmativa concedo assumptum: ipsi deest copula correspondens iudicio v.g. negativo, prout opponitur affirmativo, quæ est positiva, haud secus quam ipsum iudicium, cui correspondet, aut non secus quam significatum harum vocum non rationale, sive potius irrationale prout brutum constituit, nego assumptum: unde liquet Propositionem vocalem negativam esse veram, & de copula negativa prædicari copulam positivam requisitam ad Propositionem in genere, prout reipsa; licet verbo sive voce nostra neutiquam, ab affirmativa & negativa abstrahit.

D V B I V M I I I.

An apprehensio, an soli iudicio, conveniat ratio Propositionis.

Antè Resolutionem

xlili. A Suppono 1^o. apprehensionem, sive 1^{am}. mentis operationem definiri simplicem objecti representationem & imaginem, quæ intellectus rem sibi in sua specie, tamquam in speculo, objectam repræsentat; apprehensio verò sic descripta est triplex. Vna simplex, sive simplicis termini, ut v.g. illa, quæ fertur in subiectum Propositionis tantum, copulam tantum, aut prædicatum tantum; alia virtualiter multiplex ut v.g. illa, quæ simul & semel indivisibiliter fertur in totum enuntiabile, ac proindè æquivalet multis simplicibus & incomplexis: 3^a. denique, est formaliter multiplex ut v.g. illa, quæ componitur ex apprehensione simplici subiecti 1^o. pronuntiati, ex apprehensione simplici copulæ 2^o. pronuntiatiæ, & ex apprehensione prædicati 3^o. pronuntiati.

xliv. Suppono 2^o. antè actum iudicii, sive actus assertivi, varias formari apprehensiones, unam, scilicet, simplicem subiecti; aliam simplicem copulæ, 3^{am} simplicem prædicati, idque successivè, sicut à proferente, 1^{um}. subiectum, deindè copulam, denique prædicatum proferitur: his autem tribus apprehensionibus simplicibus præmissis, nonnumquam formatur apprehensio una virtualiter multiplex totius enuntiabilis; quia cum intellectus bene feratur in totum enuntiabile per iudicium simplex, virtualiter tantum multiplex; non apparet, cur etiam id non possit apprehensio; quo casu, licet apprehensio

non secus ac iudicium feratur in totum enuntiabile, adhuc tamen sufficienter à iudicio distinguitur ratione diversi modi tendendi in illud enuntiabile; nam apprehensio illa in totum enuntiabile tendit representando & cognoscendo quasi examinativè tantum; iudicium verò in illud tendit asserendo, sive resolutivè sententiam ferendo, &c. cognoscere autem seu representare examinativè tantum, & asserere seu resolutivè sententiam ferre, non minus inter se distinguuntur, quam assertio quâ Doctor volens examinare hanc Propositionem hæreticam dicit, *Deus est mendax*, distinguitur à resolutione & iudicio quo post sufficiens examen resolutivè (sed erroneè) affirmaret, ita *Deus est mendax*. de quo etiam aliquid diximus supra Tract. I. Disp. I. num. 5º.

RESOLUTIO I.

XLV. **D**ico apprehensio virtualiter multiplex seu composita, etiam à iudicio separata, est verè Propositio: est contrà Gregor. in 1. q. Prologi art. 3º. Fonseca 4º. Metaph. Cap. 2º. q. 6. sect. 6. & lib. 6º. Cap. 1º. q. 3. sect. 2. quibus consentire videntur Vázquez & Suarez in Metaph. Tomo 10. Disp. 8. sect. 3.

XLVI. Probatur 1º. Propositio est *alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè oratio*, abstrahendo, an sit talis, significativè, apprehensivè, vel assertivè; sed illa apprehensio composita, etiam à iudicio separata, est *alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè apprehensivè oratio*, ut solutione objectionum patebit, ergò, &c.

XLVII. Confirmatur 1º. ipsi conveniunt proprietates Propositionis, scilicet *esse veram, vel falsam*, ergò, &c. Probatur antecedens, quia hæc apprehensio, *Deus est verax*, est apprehensivè seu representativè vera, hæc verò falsa, *Deus est mendax*, ergò, &c.

XLVIII. Confirmatur 2º. vocalis enuntiatio est vera Propositio, quia est *alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè significativè oratio*; sed dicta apprehensio est talis, ergò, &c.

XLIX. Confirmatur 3º, Propositio vocalis sæpè supponitur pro mentali apprehensiva, ergò hæc est vera Propositio.

I. Obijcies 1º. Propositio est vera vel falsa: atqui in apprehensione (ut communiter asseritur) non est falsitas, ergò, &c.

II. Respondeo distinguendo minorem, in apprehensione simplici sive simplicis termini non est falsitas concedo minorem; in ea enim nequidem est veritas, prædicamentalis scilicet, nam aliqui veritas transcendentalis omni enti convenit; in apprehensione virtualiter multiplici & propositionali, nego minorem; de hac autem sola procedit dubium.

III. Instabis, ergò qui apprehendit hoc enuntiabile, *Deus est mendax*, facit Propositionem falsam & hæreticam.

III. Respondeo negando consequentiam pro ultima parte; quia licet is faciat propositionem falsam, non facit tamen hæreticam, nam sola talis propositio assertivè seu judicativè falsa, est malitiosa & hæretica; non verò talis significativè & representativè falsa, ut insinuat est Dubio 1º. n. 40.

IV. Urgebis, ergò saltem, qui habet talem falsam apprehensionem, formaliter fallitur.

LV. Respondeo distinguendo consequens, ergò formaliter fallitur apprehendendo, sive inchoativè & incompletè, concedo consequentiam; judicando, sive formaliter & completè, nego consequentiam: vitio verò tantum vertitur falsitas iudicii, sive formalis & completa; nam si absurdum non esset Deum in se mere apprehendere aliter, quam sit, dicerem tales falsas apprehensiones Deo in se convenire posse, non secus ac conveniunt profundissimo Doctore examinanti Propositiones hæreticas; adde, simpliciter loquendo, eum solum dici falli, qui habet falsitatem assertionis, dictionis seu iudicii, quod in idem recidit.

LVI. Obijcies 2º. Propositio est assertio, vel negatio; atqui mera apprehensio non est assertio, vel negatio, ergò, &c.

LVII. Respondeo distinguendo minorem; mera apprehensio simplex sive simplicis termini non est assertio, &c. concedo minorem; sed de illa non est dubium; virtualiter multiplex & composita (de qua dubium procedit) non est assertio apprehensivè & representativè, nego minorem; nam licet sit iudicii affirmare, vel negare judicativè seu assertivè; vocum tamen est significativè, apprehensionum virtualiter compositarum representativè & apprehensivè affirmare vel negare.

RESOLUTIO II.

LVIII. **D**ico 2º. Iudicio, etiam ab apprehensionibus separato & seorsim concepto, convenit verè & propriissime ratio Propositionis. Ita D. Thomas 1. p. q. 16. art. 2º. quem sequuntur plures docti Philosophi Ferrara, Suarez, Soncinas, Fonseca, &c.

IX. Probatur, iudicium sive 2. mentis operatio; est actus intellectus Propositionem apprehensam judicans & asserens, sive assertivè conjungens ejus prædicatum cum subiecto, aut illud ipsum assertivè ab eodem removens, vel, ut alii, est oratio unum de alio per modum dictionis enuntians (nam apprehensio solum enuntiat per modum nude representationis & imaginis) sed talis actus propriissime est Propositio, ut patet, ergò, &c. Probatur minor, quia illi conveniunt proprietates veræ Propositionis, ut consideranti patebit, ergò, &c.

IX. Confirmatur 1º. Plurimi putant in solo iudicio consistere rationem Propositionis, ergò, &c.

LXI. Confirmatur 2º. ratio Propositionis convenit vocali & apprehensivæ, ergò & judicativæ, sive iudicio. Probatur consequentia à fortiori.

Solutio Objectionum.

LXII. **P**ro solutione Objectionum. Nota præter virtualem & formalem compositionem actuum intellectus initio Dubii num. 44. insinuatam, à Philosophis benè assignari objectivam & præsuppositivam.

LXIII. Compositio objectiva est multiplicitas objectorum minus actus.

LXIV. Compositio præsuppositiva est multiplicitas actuum præsuppositorum ad actum, qui dicitur præsuppositivè compositus, ut v. g. multæ apprehensiones simplicis termini præsuppositæ ad iudicium. His notatis

LXV. Obijcies 1º. ex Aristotele, in quo inest veritas vel falsitas, in eo etiam inest compositio conceptuum: sed

sed iudicio ab apprehensionibus separato, non inest compositio conceptuum, ergo, &c.

LXVI. Respondeo Aristotelem solum velle, quod ubicumque inest veritas vel falsitas, inest etiam compositio conceptuum obiectivorum, quæ inest etiam iudicio, eo quod obiectum ipsius sit compositum & multiplex; licet non inest compositio conceptuum formalium, ut infra dicitur.

LXVII. Obijcies 2^o. illa censeretur debet Propositione mentalis, pro qua supponitur vocalis; atqui vocalis non supponitur pro iudicio, ergo, &c.

LXVIII. Respondeo distinguendo minorem, atqui vocalis non supponitur pro iudicio, universaliter concedo minorem; non enim apparet, cur homo doctus, qui novit distinctionem apprehensionis propositionalis à iudicio, non possit proferre hanc Propositionem sine mendacio, *Christus non est Deus*; non posset autem, si Propositione vocalis necessarii supponeret pro iudicio; nam iudicium scienter falsum, ut istud foret, semper est mendacium & peccatum: aliquando, nego maiorem; nam in rudibus & idiotis fortè probabilius est supponere pro iudicio; quia apud ipsos, non aliter videntur supponere voces prolata ab homine, quibus constat Propositione vocalis, quam supponerentur prolata ab Angelo in corpore assumpto; quo casu supponerentur pro iudicio, quia Angelus apprehensiones non præmittit; quod ex eo confirmatur, quod rudes illi soleant dicere mentiri, peccare, &c. eos, qui falsas Propositiones vocales faciunt.

LXIX. Obijcies 3^o. in hoc distinguitur cognitio Angelica à cognitione humana, quod hæc fiat cum compositione formali, illa sine; atqui compositio formalis requirit plures conceptus, quos non includit iudicium, utpotè qualitas simplex; ergo iudicium ab apprehensionibus separatam non est vera Propositione.

LXX. Respondeo negando antecedens, quia ad distinctionem cognitionis Angelicæ ab humana, sufficit si humana præsuppositivè sit composita ex apprehensionibus, non item Angelica.

DUBIUM IV.

An iudicium sit qualitas formaliter simplex.

LXXI. **D**ixi formaliter simplex, quia satis constat ex Dubio præcedenti, num. 44. esse obiectivè præsuppositivè compositum. Ita communiter Philosophi, Gregor. Gabriël, Sotus, Tolemus, Conimb. Suarez, Hurtadus, &c. contra P. Rubium Perier. Cap. 4. q. 4. num. 61.

RESOLUTIO.

LXXII. **D**ico iudicium est qualitas simplex & indivisibilis formaliter.

LXXIII. Probatur 1^o. experientiâ: præmissis terminorum apprehensionibus hujus Propositionis *homo est animal*, omnes experimur nos unico actu iudicare *Petrus esse animal*, ergo, &c.

LXXIV. Probatur 2^o. quia natura iudicii talis est, ut feratur in totum enuntiabile; non enim iudicatur vel sententia fertur nisi de toto, ergo, &c.

LXXV. Confirmatur, nolitio, volitio, &c. sunt actus simplices formaliter, ergo, &c. iudicium. Hinc

LXXVI. Colliges iudicium non componi intrinsecè ex apprehensionibus subiecti, copulæ & prædicati, quia nulla est necessitas istiusmodi compositionis; deinde iudicium esset aggregatum per accidens, quia componeretur ex pluribus actibus ex se completis, & non unitis.

LXXVII. Obijcies 1^o. omnis propositio debet posse resolvi in terminos; atqui, si iudicium sit qualitas simplex & indivisibilis; non poterit, ergo, &c. Probatur minor, quia in id tantum aliquid resolvi potest, ex quo componitur, ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo distinguendo maiorem, Propositione debet posse resolvi in terminos reales vel virtuales, prout composita fuerit, concedo minorem; necessariò in reales, nego minorem; nam sola vocalis obiectiva, & apprehensiva formaliter composita, habet terminos reales; sicut verò apprehensiva virtualiter tantum multiplex & iudicium, sunt virtualiter tantum composita, ita habent tantum terminos & partes virtuales.

LXXIX. Obijcies 2^o. iudicium affirmativum dicitur communiter compositio, ergo est formaliter compositum.

LXXX. Respondeo distinguendo antecedens, iudicium affirmativum dicitur communiter compositio activa & intentionalis, per hoc v.g. quod intentionaliter prædicatum componat cum subiecto, concedo antecedens; passiva & formalis, per hoc scilicet, quod in se intrinsecè ex pluribus actibus componatur, nego antecedens: eodem modo responderi debet ad id, quod obijcitur iudicium negativum dici divisionem.

LXXXI. Instabis, Propositione vocalis est formaliter & intrinsecè composita, ergo & mentalis iudicativa. Probatur consequentia, quia talis mentalis, qualis vocalis.

LXXXII. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem. Respondeo sufficere, si sit repræsentativè composita, sicut vocalis est formaliter in se composita; nam vocalis, non est iudicio intrinseca, sed extrinseca tantum.

DUBIUM V.

Quid veritas & falsitas propositionis.

LXXXIII. **A**ntè Resolutionem Nota 1^o. Veritatem & falsitatem posse esse duplicem, unam apprehensionis incomplexæ, & aliam apprehensionis complexæ: veritas incomplexæ est apprehensionis simplicis termini prout in se est, vel non est: veritas autem complexæ est cognitionis apprehensiva Propositionis obiectivæ prout est in se.

LXXXIV. Nota 2^o. nos hic non agere de Propositionis veritate transcendentali, sive in essendo, quæ est proprietas entis in genere, nec aliud realiter, quam entitas cuiusque rei, prout nata est intelligi, sicuti est, unde etiam convenit propriè Propositioni falsæ; sed de prædicamentali, sive in repræsentando, quæ est triplex (& idem est de falsitate) una vocalis, alia apprehensiva, 3^a. iudicativa. His notatis, sit

RESOLUTIO I.

LXXXV. **D**ico 1^o. veritas fundamentalis proxima est actus talis in repræsentando, quale est obiectum in essendo: falsitas verò est actus

actus alius in representando, quam objectum sit in essendo; sic nempe, ut actus & objectum sint fundamentum & terminus relationis prædicamentalis veritatis, aut falsitatis; ratio verò fundandi, dicta talitas vel alicuius; prout hæc & hæc albedo sunt fundamentum & terminus relationis prædicamentalis similitudinis, ratio verò fundandi earum unitas.

LXXXVI. Probatur ex Aristotele de Substant. Cap. 1^o. *ab eo quod res est, vel non est*, subde prout per Propositionem enuntiatur, *Propositio est vera vel falsa*; non quidem formaliter, ut constat ex dictis supra de Relatione prædicamentali; ergò fundamentaliter. Probatur consequentia, quia alia non restat ratio veritatis aut falsitatis propositionalis; & reverà positā affirmativā Propositione cursus Petri, & Petro currente, & quocumque alio ablato, illa Propositio intelligitur esse vera fundamentaliter, præsertim cum veritas sit quædam similitudo intentionalis, & similitudo fundamentalis duarum albedinum sit, præcisè positis duabus albedinibus, ergò, &c.

LXXXVII. Objicies ex R. P. Comptono Log. Disp. 44. Sect. 3^a. malè sonaret, si quis diceret Deum esse partem erroris vel hæresis, quod tamen in hac sententia necessariò admittendum videtur, si objectum sit pars actus, quæ veri aut falsi: ut in hac Propositione hæretica, *Deus non est trinus & unus*: vel *Deus est mortalis*, ergò, &c.

LXXXVIII. Respondeo hic R. Patrem Comptonum esse plus æquo scrupulosum, quandoquidem id aliud in nostra sententia non sit, quam Deum esse objectum falsi actus, quod omnes unanimiter Deo tribuunt; ex quo non sequitur, ut nonnullus malè autumat, actum erroneum esse divinum, quia denominatio divini actus non est ab objecto, sed ab actu, qui realiter Deus sit, alioqui denominatio creati actus esset ab objecto creato, ac per consequens in Deo essent actus creati, videlicet illi, quibus in creaturas tendit, quod nullus dixerit.

RESOLUTIO II.

LXXXIX. **D**ico 2^o. formalis veritas aut falsitas Propositionis est relatio prædicamentalis conformitatis aut disformitatis actus ad objectum.

LXXXX. Probatur, quia formalis veritas aut falsitas Propositionis est species quædam formalis similitudinis inter objectum & actum (loquere proportionaliter de falsitate, quæ est species quædam dissimilitudinis) atqui similitudo formalis est talis relatio, unde profundè R. P. Poncius Log. Disp. 19. q. 3. Concl. 2^a. *in hac re*, puta de veritate & falsitate, *discurrendum conformiter ad sententiam, quam quis tenere voluerit de similitudine aut dissimilitudine*.

LXXXXI. Objicies 1^o. ex P. Comptono loco num. 87. citato, nulla necessitas talis relationis à fundamentaliter distinctæ, & in Deo talis veritas datur, sinè tali relatione prædicamentali, ergò, &c.

LXXXXII. Respondeo huic argumento abundè satisfactum supra toto Prædicamento Relationis: cognitio enim Dei antecedenter ad veritatem illam prædicamentalem non est aliter una, quam duæ albedines sint similes antè relationem similitudinis prædicamentalem.

LXXXXIII. Objicies 2^o. cum P. Oviedo de anima

cont. 7^a. punct. 1. actus est formaliter verus vel falsus antè dictam Relationem Prædicamentalem, ergò, &c. Probatur antecedens, quia *ab eo, quod res est, vel non est, dicimus verum vel falsum*, ergò, &c.

LXXXXIV. Respondeo negando antecedens, ad ejus Probationem, Respondeo distinguendo assumptum, *ab eo, quod res est vel non est fundamentaliter dicimus verum, vel falsum fundamentaliter*, concedo assumptum; *ab eo quod res est, vel non est fundamentaliter dicimus verum vel falsum formaliter*, nego assumptum, hæc enim debent sibi invicem proportionari.

LXXXXV. Instabis ex eodem, actus, quo Deus judicat se esse Deum, & quo dico Deum existere, est formaliter verus antè ulteriorem conceptum; contrarium enim est absurdum, & malè audit, ergò, &c.

LXXXXVI. Respondeo distinguendo assumptum, actus quò Deus judicat se esse Deum, se existere, &c. est formaliter verus antè ulteriorem conceptum, si ly *formaliter* accipiat prout opponitur *eminenter*, ut sit sensus, actus, quò Deus, &c. est verus, eò modo quò Deus est omnipotens, immensus, &c. & non tantum eminenter eò modo quò Deus est quælibet perfectio creata, concedo assumptum: si ly *formaliter* accipiat prout opponitur *fundamentaliter*, ut sit sensus, actus, quò Deus, &c. est verus veritate formali, si vè veritate formaliter & relativè prædicamentali distincta ab actu antè ulteriorem conceptum, (quò sensu nequidem Deus est formaliter omnipotens antè ulteriorem actum, quia non datur in Deo omnipotentia formaliter distincta à natura antè actum intellectus, ut satis probatum est Tract. 1^o. Disp. 2^o. Dub. 5^o. & hoc ipsum est, quod potius est absurdum, & potius malè audit) nego assumptum, id enim supra Tract. 1^o. cit. contra Scotum fusè impugnatum est, nec admittet P. Oviedo, quin sibi contradicat: ad actum verò, quo dico Deum existere, responde ut antè, esse tantum fundamentaliter verum antè ulteriorem conceptum, quia habere non potest veritatem formaliter à se distinctam antè ulteriorem conceptum (ut patet) quod sonat ly *formaliter* ut opponitur *fundamentaliter*.

LXXXXVII. Nec magis verum est, quod addit P. Oviedo, nostrum *verum* fundamentaliter sufficere, ut Propositio sit vera formaliter; quam verum sit universale fundamentaliter sufficere, ut natura sit universalis formaliter; simile fundamentaliter sufficere, ut albedo sit formaliter similis, &c.

LXXXXVIII. Adde Resolutionem nostram & oppositum istius assumpti omninò videri D. Thomæ 1^a. q. 16. art. 2^o. ubi ait, *quando intellectus judicat rem ita se habere, sicut est forma* (ubi attende ad istum actum reflexum) *quam de re apprehendit, tunc primò cognoscit & dicit verum*.

RESOLUTIO III.

LXXXXIX. **D**ico 3^o. veritas & falsitas fundamentaliter sunt actibus (saltem in materia contingenti) accidentales, & inadæquate extrinsecæ: formaliter verò accidentales & adæquate extrinsecæ; 2^a Pars patet ex Resolutione præcedenti. 1^a verò probatur, quia, vel est sermo de actu in complexo; si vè apprehensione simplicis termini vel de complexo prout præcendit ab esse verum aut falsum; quando in Præparamento Logico, aut

num. 243. & paulò antè Dub. 3^o. num. 42. diximus Propositionem in genere præscindere ab esse veram vel falsam, aut prout supponitur actus de facto esse verus? atqui quodcumque eorum dicatur, veritas & falsitas est actui accidentaliter & inadæquatè extrinseca, ergò, &c.

Probatio minoris pro I. Parte.

C.I. Probatur minor pro 1^a. parte contrà RR. PP. Suarem Disp. 9. Met. Sect. 1^a. num. 14. Hurtadum Disp. 9. de anima Sect. 2^a. Arriagam Disp. 14. Logic. Sect. 4. quos sequitur Comptonus Logic. Disp. 44. Sect. 2^a. apprehensio simplicis termini sic ex se & essentialiter est imago sui objecti, prout actui obijciuntur, ut tamen non sit ex se & essentialiter imago sui objecti, prout est in se, ergò fundamentaliter veritas actus incomplexi sive apprehensionis simplicis termini est illi accidentaliter & inadæquatè extrinseca. Probatur consequentia, quia si illius objectum nunc, ut antè, intellectui obijciatur, & tamen prout est in se mutetur; veritas apprehensionis illius in falsitatem mutabitur, ergò, &c. Probatur antecedens, quia esse essentialiter sui objecti imaginem, non plus dicit; & alioquin dicendum esset terminum esse, quoad se & intrinsecè essentialiter omni respectui transcendentali, quod Disp. de Relatione Dub. 2^o. rejectum est, ergò, &c.

C.II. Obijcies 1^o. ex P. Comptono loco citato, si quis volens apprehendere aurum apprehendat aurichalcum, ipsius apprehensio non est falsa auri apprehensio, sed vera aurichalci & illi conformis; non difformis auro propriè loquendo, seu difformitate oppositâ, sed solum disparatâ, ergò, &c.

C.III. Respondeo negando assumptum, nam ipsum imprimis in voluntate secundum intentionem decipi patet; deinde, si aurum, quod apprehendit existere, designat, & apprehensio illa perseveret, de vera, fit falsa, ut patet; unde apprehensio aurichalci loco termini auri, non est quidem, nisi secundum intentionem falsa auri apprehensio, sed id non impedit, nè alio casu à nobis allato, auri veri apprehensio vera mutetur in falsam, ob rationem in probatione allatam.

C.IV. Obijcies 2^o. est essentialiter apprehensioni representare objectum quod existit, verum & reale, ergò etiam est essentialiter & intrinsecum illi representare objectum, quod existit, sicuti est.

C.V. Respondeo distinguendo consequens: ergò est illi essentialiter & intrinsecum representare objectum, quod existit sicuti objectivè est, seu sicuti intellectui obijciuntur, concedo consequentiam: sicuti est in se, nego consequentiam, ob rationem datam in conclusione.

Probatio minoris pro II. Parte.

C.VI. Probatur minor pro 2^a. parte, quia illo casu eodem modo apprehensio se habet ad veritatem & falsitatem, quo paries ad esse cognitum & non cognitum, nullus autem negat utrumque esse parietem accidentale & extrinsecum, ergò, &c.

probatio minoris pro III. parte.

C.VII. Probatur 3^a. pars à fortiori ex probatione minoris pro 1^a. parte.

C.VIII. Confirmatur, quia Propositio ut Propositio præscindit ab esse vero vel falso, & ad verum vel falsum se habet tamquam commune quidpiam, quod per veritatem ad Propositionem veram, & per falsitatem, ad falsam contrahi indifferenter possit, ergò, &c.

C.IX. Obijcies 1^o. omnis Propositio affirmans cursum Petri v.g. objectum attingit ex suppositione, quòd sit; sed ex suppositione quòd sit, non potest non esse, ergò Propositio respicit essentialiter objectum ut est in se.

CX. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in suppositionem ipsam, quæ de vera potest fieri falsa, haud secus, quàm ipsa Propositio.

CXI. Respondeo 2^o. non obstante suppositione (quæ ad veritatem affirmationis nihil refert, quia sive sit, sive non sit suppositio, illa esset) Propositionem esse veram, si conformis objecto, sive representans objectum prout est in se; falsam, si difformis, sive representans objectum aliter, quàm est in se.

CXII. Obijcies 2^o. actus per suam essentiam assimilatur, vel non assimilatur objecto? si assimilatur, est verus: si non, est falsus, ergò semper erit essentialiter verus, aut essentialiter falsus.

CXIII. Respondet P. Arriaga Disp. 14. Log. num. 36. actum non esse similem vel dissimilem objecto per suam essentiam; quia ista similitudo, vel dissimilitudo, dicit utrumque extremum, quorum alterum non est de essentia ipsius actus; sed hæc responsio non placet, quia objectum prout actui obijciuntur, semper est de essentia actus, & eo non obstante, ut contendimus, actus per suam essentiam non assimilatur, aut dissimilatur objecto, sic ut de vero fieri non possit falsus. Vnde aliter

CXIV. Respondeo distinguendo assumptum: actus per suam essentiam assimilatur, vel non assimilatur objecto spectato prout actui obijciuntur, concedo assumptum; prout obijciuntur ut in se est, nego assumptum, quia illi ut sic, non nisi per accidens in materia contingentem assimilatur; vel non assimilatur; sicut non nisi per accidens existit vel non existit: unde Propositio ut fundamentaliter vera præter se & objectum spectatum ut actui obijciuntur, dicit objectum obijci ut est in se.

CXV. Instabis, hinc sequeretur Deum in suis rerum contingentium cognitionibus falli posse; sed hoc est absurdum, ergò, &c.

CXVI. Respondeo distinguendo sequelam majoris; sequeretur Deum falli posse quoad intrinsecam suam cognitionis, nego sequelam majoris; quoad extrinsecam, concedo sequelam majoris; nec in eo majus est absurdum, quàm Deo, & Dei verâ de Petro cognitione existente, Petrum designare esse. Hoc tamen etiam modo distingui potest; sequitur Deum in istis cognitionibus falsis quâ falsis sive ex parte objecti falli posse, concedo sequelam: in istis cognitionibus falsis, quâ cognitionibus, sive ex parte ipsius Dei, nego sequelam; in hac autem tantum potest esse absurdum, quia illæ quâ falsæ, sunt aggregatæ ex Deo & creatura, quæ creatura, cum modò sit, modò non sit, in suo esse fallit, quod, & nihil præterea, per istam distinctionem conceditur.

D V B I V M VI.

An idem numero actus de vero possit fieri falsus.

ANtè Resolutionem
 cxvii. Suppono 1^o. esse triplicis generis Propositiones: quædam sunt necessariae, & sunt quæ non possunt esse falsæ, ut *homo est animal*, quia scilicet sunt de objecto necessario & immutabili: aliæ impossibiles, & sunt, quæ non possunt esse veræ, ut *homo est lapis*, quia scilicet sunt de objecto impossibili: aliæ denique sunt contingentes, sive de objecto contingenti, & earum aliquæ sunt veræ, aliquæ falsæ, quia scilicet eorum objectum modò est, modò non est.

cxviii. Suppono 2^o. Propositiones contingentes, sive de objecto contingenti, esse multiplices; nam aliquæ sunt de futuro, ut *Petrus nascetur*: aliquæ de præterito, ut *Petrus natus est*; aliquæ de præsentī, ut *Petrus nascitur*: aliquæ universales, ut *omnis homo currit*; aliquæ singulares intuitivæ, vel non intuitivæ, ut *Petrus currit*. His præmissis sit

R E S O L U T I O.

cxix. **D**Ico cum doctissimo P. Suarez Disp. 8. Metaph. sect. 2. num. 19. Rubio hic q. 5. Amico Tract. 21. Disp. 4. q. 1^a. Maltio Disp. 10. q. 2. contrà RR. PP. Smiling. Tract. 3^o. de Deo uno, Disp. 1^a. Cavellum, Mendozam, Arriagam, Oviedum, Comptonum, Aversam, Poncium, &c. eadem Propositio mentalis contingens singularis de præsentī, non intuitiva, sed abstractiva, potest de vera fieri falsa.

cxix. Probatur 1^o. ex Aristotele in Prædicamentis cap. 7^o. ubi fatetur quòd opinio eadem possit de vera fieri falsa per solam objecti mutationem, ergò, &c.

cxxi. Probatur 2^o. quia potest mutari ipsius objecti materiale, ipsa eadē remanente; atqui hoc sufficit, ut dicta Propositio de vera fiat falsa, ergò, &c.

cxxi. Probatur minor, quia mutato objecto materiali Propositionis mentalis, intellectus habet fundamentum in re, ut actum, quem antè concipiebat esse talem in representando, quale est objectum in essendo, ad quem sequebatur veritas formalis, concipiat non esse talem in representando, quale est objectum in essendo, ad quem sequitur falsitas formalis, ergò, &c.

cxxi. Probatur major in qua tota difficultas: hæc Propositio, *Ioannes scribit*, significat successivè plura instantia copulativè; ita scilicet, ut hoc instanti pro hoc instanti nihil aliud significet, quàm *Ioannem scribere* hoc instanti; hoc instanti verò pro instantibus futuris, significet *Ioannem scribere*, & instanti 1^o. futuro, quando est; & instanti 2^o. futuro, quando est, & sic de aliis: atqui si hoc instanti scribat, ut potest, erit vera, utpotè conformis toti objecto, quod hoc instanti significat pro hoc instanti; & si uno ex futuris, quando est, non scribat, ut etiam potest, erit falsa, utpotè difformis toti objecto; quod illo instanti pro illo instanti, quando est, significat, ergò, &c.

cxxiv. Probatur hæc major, quia illa Propositio est indefinitè instantanea aut successiva; indefinitè successiva disjunctiva aut copulativa determinata, ad hoc v. g. ut determinatè significet totam mediam horam, ergò rectè explicari potest modo à nobis explicato.

cxv. Confirmatur 1^o. si detur vera Propositio, quæ dicat pro suo objecto formali, *Ioannes scribit hoc instanti pro hoc instanti præcisè, & futuris pro futuris instantibus*, sic ut 1^o. ex futuris, quando est, idem significet, quod jam significat; si hoc instanti scribat, est vera; si sequenti, quando est, non scribat, est falsa: atqui talis est hæc Propositio, *Ioannes scribit*, ergò, &c.

cxvi. Dices, si illa Propositio pro suo objecto formali, id est, prout actui obijciuntur spectato, dicat *Ioannes scribit hoc instanti pro hoc instanti*; & hoc instanti non dicat, sed 1^o. ex futuris instantibus, quando est, illud quod dicit 1^o. instanti ex futuris quando est, mutat significationem formalem & essentiam; sed hoc dici non potest, ergò, &c.

cxvii. Respondeo Propositionem illam pro suo objecto formali, sic dicere *Ioannes scribit hoc instanti pro hoc instanti*, ut hoc instanti dicat illud, quod dicit 1^o. ex futuris instantibus, quando est, sumptis instantibus illis, non prout in se sunt successivè, quomodo mutaretur significatio formalis Propositionis, sed prout Propositioni illi obijciuntur, sive prout ab illa representantur esse successivè correspondentia scriptioni: quia autem prout in se sunt, non sunt semper successivè correspondentia scriptioni, licet prout à Propositione ista, representantur, sint Propositioni correspondentia, sit quod Propositio, quæ dicit *Ioannes scribit*, pro instanti, quo scribit, sit vera, & pro eo instanti, quo non scribit non sit vera, immutato objecto formali, & soli materiali mutato.

cxviii. Confirmatur 2^o. eadem lex, quia hoc instanti pro hoc instanti obligat omnes, qui sunt in hoc territorio, & pro sequentibus quando sunt; similiter potest invariata, modò plures, modò pauciores; modò hos, modò alios obligare; modò hos obligare, modò hos non obligare; in quantum enim hoc instanti (quo solum pro hoc instanti eos obligat) possunt esse plures in hoc territorio. potest plures obligare, &c. in quantum verò sequenti instanti (quo pro sequenti, quando est, eos obligat) possunt esse pauciores. potest pauciores obligare, & sic de aliis; ergò similiter eadem Propositio invariata potest de vera fieri falsa.

cxix. Objicies cum P. Oviedo, de anima Controv. 7. ad hoc ut Propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi illius objectum, non solum in hoc instanti; sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo, quo per copulam importatur; sed eo ipso, quod in hoc instanti supponitur objectum Propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat illud postea in aliquo tempore importato per copulam non existere; ergò implicat postea Propositionem fieri falsam. Probatur major, ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus semper currit*, in hoc instanti sit vera, non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed debet in omni instanti currere; quia veritas consistit in conformatione actus, cum toto objecto significato, ergò, &c. ita verbotenus P. Oviedo de Anima cont. 7. punct. 2. ubi dicit hanc rationem se non semel robustam expertum, & per illam universaliter de omni Propositione, quæcumque illa sit, efficacissimè suam conclusionem probare.

cx. Respondeo tamen concedendo totum: Pater Oviedus enim nihil dicit contra nos, quia falsum supponit, videlicet hanc Propositionem, *Ioannes scribit*, ad hoc ut sit hoc instanti vera, supponere,

nere, & significare *Ioannem scribere* vel hoc instanti tantum, quo casu semper erit vera, si hoc tantum instanti *scribat*, etiam si aliis instantibus *non scribat*; quia nec pro illis supponit, nec illa significat: vel in hoc instanti & pluribus successivè præsentibus, quo casu si sit vera, debet *Ioannes* hoc instanti & pluribus successivè futuris necessariò ex hypothesi *scribere*, prout pro illis supponit & significat *scribere*; ergò non potest de vera fieri falsa, quia ut falsa supponere & significare debet uno ex illis *non scribere*; eandem verò Propositionem supponere & significare *Ioannem omnibus illis instantibus scribere*, & uno ex illis *non scribere*, contradictoriè reputat, haud secus, quam omnibus illis instantibus *Ioannem scribere*, & uno ex illis *Ioannem non scribere*: hæc omnia ultro concedimus: sed negamus hanc Propositionem, *Ioannes scribit*, supponere & significare *Ioannem scribere* uno ex allatis modis; supponit enim & significat *Ioannem scribere* 3^o. quodam modo ab illis distincto, videlicet hoc instanti pro nunc, sive pro hoc instanti, & copulativè hoc instanti pro tunc, sive pro instantibus successivè futuris, quando erunt præsentia, quæ, quia allata Propositio non significat pro nunc, sive pro hoc instanti, si *Ioannes scribat* hoc instanti, dicta Propositio est vera, hoc instanti pro hoc instanti, licet uno ex instantibus futuris *non scribat*, quando est, quia illa non significat pro nunc, sive pro hoc instanti, ac proinde est conformis toti suo objecto: item, quia allata Propositio illa instantia successivè futura hoc instanti significat pro tunc, sive pro illis instantibus, si uno ex illis *non scribat*, (ut potest) quando est, erit falsa; quia difformis toti suo objecto pro eo instanti, quo supponit & significat *Ioannem scribere*.

CXXXI. Instabis ex eodem: Propositio mentalis, quæ dico *Ioannis currit*, utpotè intrinsecè essentialiter imago sui objecti; semper habet eandem significationem, ergò si uno instanti sit vera, semper erit vera, si verò uno falsa, semper erit falsa: probatur antecedens, quia semper habet eandem entitatem & repræsentationem, utpotè illi identificatam, ergò, & significationem, sive uni sive diversis instantibus coexistat, quia sicut non est repræsentatio per durationem superadditam, ita nec significatio: hanc rationem semper sibi visam magni ponderis addit P. Ovidius hic.

CXXXII. Respondeo tamen 1^o concesso antecedente, negando consequentiam; quia ad hoc, ut semper foret vera, deberet habere significationem immutabiliter conformem suo significato, & ad hoc, ut semper foret falsa, deberet habere significationem immutabiliter difformem suo significato; at verò, cum semper significet *Ioannem currere* hoc instanti pro hoc instanti, & pro instantibus successivè futuris quando sunt, in quibus potest *Ioannes* mutari de corrente in non currentem, habet dicta Propositio significationem semper mutabiliter conformem, vel semper mutabiliter difformem suo significato; ac proinde potest de vera fieri falsa, & è contrà.

CXXXIII. Respondeo 2^o. distinguendo antecedens, Propositio mentalis quæ dico *Ioannes currit*, semper habet eandem significationem adæquatam, sive constatam ex formali & objectiva, nego antecedens; non enim *Ioannes currit* toto tempore, quo durat hic actus *Ioannes currit*; ad hoc autem, ut vel semper foret vera, vel semper falsa, deberet semper habere eandem significationem adæquatam, ut con-

sideranti patebit: habet semper eandem inadæquatam, sive formalem significationem, concedo antecedens; verum hinc tantum sequitur manere semper eandem significationem quoad substantiam, sicut semper manet eadem significatio formalis, quod contendimus, cum dicimus eandem Propositionem posse de vera fieri falsam; non sequitur verò semper manere eandem quoad veritatem & falsitatem, quia hæ mutantur pro mutatione objecti materialis.

CXXXIV. Urgebis, manet semper eadem significatio formalis, ergò & objectiva, ac proinde adæquata; sed manente semper eadem significatione adæquata, Propositio nequit de vera fieri falsa, ergò, &c. Probatur 1^a consequentia pro 1^a parte, quia significatio formalis dicit immutabilem respectum transcendentalem, sive essentialem ad objectivam, ergò, &c.

CXXXV. Respondeo, negando consequentiam, ad ejus probationem, Respondeo distinguendo antecedens, dicit immutabilem respectum ad objectivam, prout formaliter & in actu exercito objicitur intellectui, quomodo hæc Propositio *Ioannes currit*, abstrahit ab eo, quod in se *Ioannes currat*, vel *non currat*, concedo antecedens: ad objectivam, prout materialiter tantum & in actu signato, id est ex parte sui significati materialis, objicitur intellectui, nego antecedens: ab hac autem sumitur veritas, vel falsitas Propositionis mentalis, ut discurrenti per omnes Propositiones patebit; quia verò hæc est mutabilis eadem manente Propositione mentali, & objectivâ formali, fit, ut eadem Propositio mentalis de vera possit fieri falsa, vel è contrà. Vndè non est 1^o. quod P. Comptonus dicat evidens esse actum non posse transire de vero in falsum, eo quod essentialiter sit imago & repræsentatio objecti; quia attendere debuisset ad distinctionem objecti in formale ac spectatum prout actui objicitur, & materiale ac spectatum prout in se est; hujus enim actus non est essentialiter imago; sed illius tantum ob rationes Tract. 5^o. Disp. 3^a. de Relatione Dub. 2^o. allatas. 2^o. etiam non est, quod propter vel hoc unicum fundamentum idem P. Comptonus à nostra sententia recedat.

D V B I V M VII.

An idem Numero actus possit esse simul verus & falsus.

R E S O L U T I O.

CXXXVI. Dico, idem actus potest simul esse verus & falsus respectu diversorum simul objectorum adæquatorum disparatorum. Ità Pater Comptonus Disp. 45. Log. Sect. 5^a.

CXXXVII. Probatur, quia infra Disp. ultimâ Logic. dicemus, eundem actum conclusionis tendere posse in diversa media, quorum unum sit certum, aliud incertum aut probabile tantum, & ob id esse certum & incertum aut probabile tantum; atqui eodem ferè modo dari potest actus simplex, tendens in objecta disparata, ut v. g. *Petrus currit*; *Paulus legit*; & respectu Petri currentis esse verus; respectu Petri non currentis esse falsus, ergò, &c. minor tenet à pari; probatur consequentia, quia cum versetur circa diversa objecta, in eo nulla potest esse contradictio, magis quàm in eo, quod idem homo sit uni æqualis, alteri inæqualis; idem actus conclusionis ex uno motivo certus, ex alio incertus, &c, ergò, &c.

P Dices

CXXXVIII. Dices fortè, igitur hic actus omnes homines currunt, est verus & falsus.

CXXXIX. Respondeo, negando consequentiam; & ratio est; quia ille actus non tendit in sua objecta disparatè, sed quodammodò collectivè.

CXL. Confirmatur Resolutio, hic actus disparatè tendens in hæc objecta, Petrus currit; Paulus legit, æquivaleret duobus in illa tendentibus; sed eorum unus posset simul & semel esse verus, alter falsus, ergò, &c.

CXLI. Dices, bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu, ergò si ex parte unius objecti actus ille sit falsus, simpliciter dici debet falsus.

CXLII. Respondeo, negando consequentiam; quia, quandoquidem quodlibet objectum censetur adæquatum objectum, sic ut simul non consent per modum partialium unum totale, isti actui per respectum ad unum suam perfectionem totalem, & per respectum ad aliud suam imperfectionem totalem, relinquunt.

D V B I V M V I I I.

An Propositiones de futuro contingenti absolute & singulares habeant determinatam veritatem vel falsitatem.

CXLIII. **D**ixi 1^o. singulares, quia de universaliibus, an sint determinatè veræ vel falsæ, pauci dubitant; sed omnes communiter cum Aristotele, affirmant eas esse determinatè tales.

CXLIV. Dixi 2^o. de futuro, quia ex Aristotele satis constat, illas, quæ sunt de præsentibus & præteritis, etiam esse determinatè veras, vel falsas; quia res significata per illas determinatè est vel non est, fuit vel non fuit. Sed ante Resolutionem, sit

P A R A G R A P H V S I.

Prænotanda.

CXLV. **N**ota 1^o. contingens posse sumi dupliciter: 1^o. generaliter & latè, pro omni eo, quod ita est, ut potuerit non esse inspecta virtute causæ extrinsecæ; sive in creatæ, ad cuius inspectum contingenter existo; sive alicujus creatæ, ad cuius inspectum ignis contingenter ardet; quia per Deum mea existentia, per aquæ infusionem ardor ignis, impediri potest: 2^o. specialiter & strictè pro electivo, aut eligibili, & tunc accipitur pro omni eo tantum, quod ita est virtute intrinsecæ libertatis, ut illa inspecta potuerit non esse, ut amor boni, ambulatio spontanea, &c.

CXLVI. Nota 2^o. Propositionem de futuro posse assignari multiplicem: 1^o. unam de futuro necessario, & est, (non quæ necessario est, quia nulla est talis Propositio, sed omnes contingenter sunt, ut consideranti patebit) quæ enuntiat objectum futurum necessario, ut *Anri-Christus erit animal rationale*. alterum de futuro contingenti, & est, quæ enuntiat objectum futurum contingens, sive electivum vel eligibile, ut *Anri-Christus erit amans, ambulans*, &c. 2^o. Propositionem de præsentibus, etiam esse multiplicem, unam determinatè veram (& idem est de falsa,) alteram necessario veram: determinatè vera, est illa, quæ ita conformis est suo objecto, ut non sit illi difformis, ut *Paulus scribit, Petrus est homo*. Necesario vera est illa, quæ ita conformis

est suo objecto, ut non potuerit attentà virtute liberi arbitrii esse illi difformis, ut *Petrus est homo*. 3^a est illa, quæ est contingenter vera, & est, quæ ita vera est, ut inspecta virtute liberi arbitrii, potuerit esse falsa, ut *Petrus scribit*: hinc patet eandem Propositionem determinatè veram posse esse contingenter, aut necessario veram, pro veritate objectiva sui objecti; necessario autem veram non posse ut talem, esse contingenter veram, & è contrà.

CXLVII. Nota 3^o. necessitatem esse duplicem, unam absolutam, alteram ex suppositione: Absoluta est, quæ habetur nullà facta suppositione, ut necessitas existentie Dei. Necessitas ex suppositione est, quæ non habetur nisi facta aliqua suppositione, ut necessitas ambulationis Petri, supposito quòd videam Petrum ambulante.

CXLVIII. Necessitas ex suppositione est triplex; scilicet, ex suppositione antecedente, ex suppositione concomitante, & ex suppositione consequente. 1^a est, ubi aliquid supponitur, quòd necessario antecedit, per modum causæ vel conditionis inferens, ut necessitas existentie caloris ex prævia suppositione, quòd ignis existat; necessitas combustionis stuparum siccarum, ex suppositione, quòd sit approximatio ignis ad illas. 2^a ubi aliquid supponitur concomitans, ut necessitas existentie loquelæ meæ, vel ambulationis, ex suppositione quòd loquar, vel ambulem. 3^a ubi aliquid supponitur consequens, ut necessitas loquelæ, vel ambulationis Petri, ex suppositione, quòd audiam ipsum loquentem, vel videam ambulante. Hinc

CXLIX. Colliges, aliquid posse esse necessario futurum quadrupliciter. 1^o. necessario necessitate absoluta; verum nihil datur futurum tale, quia nihil est futurum, nisi ex suppositione, quòd Deus permittat. 2^o. necessario necessitate orta ex suppositione antecedente, ut erit calor ex suppositione, quòd erit ignis: 3^o. ex suppositione concomitante, ut loquar ex suppositione, quòd loquar: 4^o. ex suppositione consequente, ut loquar ex suppositione, quòd me loquentem audiam. His

CL. Adde 1^o. varios hic docere, necessitatem ortam ex suppositione antecedente evertere libertatem, sive strictam in objecto contingentiam; quia, cum necessario sequatur ad præsuppositam causam, sive efficientem, sive conditionalem, causa illud necessario ponit, ac proinde ita est, ut vel etiam attentà virtute suæ causæ, non potuerit non esse; quòd verò est liberum sive strictè contingens, ita est, ut saltem attentà virtute suæ causæ potuerit non esse. Alii id omnino negant; nos, cum id ad concordiam libertatis cum gratia reduci videatur, prudenter super sedendum putamus, præsertim cum verisimilius sit productionem Spiritus Sancti, sic esse liberam, ut contingens non sit, quòd alibi auctoritate & ratione probamus cum Magistro Nostro de Bachone in 1^{um}. Sent. Dist. 11. q. 1. art. 3.

CLI. Adde 2^o. necessitatem ortam ex suppositione concomitante, vel consequente non evertere libertatem, vel etiam strictam contingentiam in objecto, quia illa suppositio concomitatur solum, vel subsequitur strictam objecti contingentiam, non secus ac liberam causam objecti, à qua est dicta contingentia.

CLII. Adde 3^o. necessitatem ortam ex suppositione antecedente, non malè aliter vocari necessitatem consequentis; quia per illam unum necessario alterum tamquam causam suam necessariam consequitur;

quitur: Necessitatem verò ortam ex suppositione concomitante, vel consequente vocari necessitatem consequentiae tantum, quia per illam unum ex alio per legitimam consequentiam infertur.

CLIII. Nota 4^o. Propositiones singulares de futuro contingenti posse dupliciter spectari, vel quatenus earum objectum est extrà causas & in actu, aliquo instanti sumpto quatenus Dei æternitatem respicit; vel quatenus instans in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit; ista enim multum distinguuntur, quia hoc modo objectum consideratur ut futurum in tempore; isto autem modo ut præsens in Dei æternitate: his autem prænotatis, dicam breviter quid sentiam, quia, ut rectè notant Doctissimi PP. Nostri Complutenses in Summa Textus ad Libros Perihermenias, disputatio hæc non est propriè dialectica, sed ad Theologiam spectat, de qua ibi fusius, quare, sit

RESOLUTIO I.

CLIV. Dico 1^o. Propositiones singulares de futuro contingenti consequenter ad decretum Dei de objecti earum futuritione, quatenus earum objectum est extrà causas & in actu, aliquo instanti, sumpto quatenus Dei æternitatem respicit, sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Hæc conclusio videtur certa, nec reipsa videntur aliud velle Scotistæ & PP. Societatis.

CLV. Probatur, quia Propositiones singulares de futuro contingenti ut sic, non sunt de futuro contingenti, sed de reipsa præsentī contingenti; atqui Propositiones singulares de reipsa præsentī contingenti, sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ, ergò, &c. Major patet ex notatis num. 153. minor est omnium: consequentia est legitima,

RESOLUTIO II.

CLVI. Dico 2^o. Nullæ Propositiones singulares de futuro contingenti, consequenter ad decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, quatenus instans in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, sunt determinatè veræ; reipsa non puto aliud velle omnes Thomistas, & Doctissimorum Lovaniensium Commentaria in Lib. Perihier. item è Nominalibus Ochamum & Gabrielem in 1^{um} Dist. 38. q. 1^a & plures alios.

CLVII. Probatur 1^o, quia objectum earum ut sic, hoc instanti ad suam causam se habet, tamquam ad causam hoc instanti indeterminatam: sed nullæ Propositiones, quarum objectum ad causam suam se habet tamquam ad causam indeterminatam, sunt determinatè veræ, ergò, &c. minor patet; consequentia est legitima: probatur major, in qua sola difficultas, quia sicut causa hoc instanti non est, ita hoc instanti indeterminata est, ergò, &c.

CLVIII. Dices fortè, objectum earum ut sic, hoc instanti ad suam causam se habere, tamquam ad causam hoc instanti sese determinaturam, licet hoc instanti indeterminatam; sed hoc sufficit ad hoc, ut aliquæ Propositiones singulares de futuro contingenti sint hoc instanti determinatè veræ, sumpto instanti, in quo earum objectum aliquandò est, quatenus hoc instans respicit, ergò, &c.

CLIX. Respondeo, negando minorem: quia cau-

sam hoc instanti esse sese determinaturam, vel dicit instans in quo causa aliquandò sese determinat, quatenus Dei æternitatem respicit, vel quatenus hoc instans respicit? si prius, dicit determinationem esse præsentem Dei æternitati, & consequenter aliquas Propositiones illas, quatenus earum objectum est Dei æternitati præsens, esse determinatè veras, juxta 1^{am} Resolutionem, non verò aliquas Propositiones illas esse determinatè veras, quatenus instans, in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, de quo hic contendimus: si posterius, quæro quomodo determinatio futura, præcisè sumpto instanti in quo aliquandò est, quatenus hoc instans respicit, aliter ex parte hujus instantis se habeat, quam ut purè possibilis? certè difficulter ostendes, nec puto esse discrimen inter purè possibile & futurum, præterquam in eo, quòd futurum sic instantia præsentia respiciat, ut sit simul in actu præsens Dei æternitati, quo sensu frequentissimè Augustinus clamat, *Futura jam facta sunt*. Lib. 5. de Trinit. cap. 16. *Quod futurum est, jam factum est*. in Soliloquiis cap. 26. *Omnia que sunt in tempore, sunt Deo præsentia ab æterno*. D. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. purè possibile verò sic instantia præsentia respicit, ut numquam sit in actu præsens Dei æternitati. Vbi videmus discrimen inter utrumque non peti ab hoc instanti, quod respicitur ab instanti, in quo res futura aliquandò est extrà causas & in actu; in quo plures graviter decipiuntur. Hinc

CLX. Probatur 2^o. non apparet quid objectum Propositionum singularium de futuro contingenti, hoc instanti, sumpto quatenus instans, in quo aliquandò est objectum istud præcedit, sit distinctum à purè possibili, hoc instanti; sed Propositiones singulares de futuro contingenti, quæ enuntiant objectum purè possibile esse futurum, non sunt determinatè veræ, ergò, &c.

CLXI. Probatur 3^o. quia tam absurdum est dicere hoc instanti, *Petrus erit*, præscindendo (prout in hac Resolutione præscinditur) ab eo, quod aliquandò est extrà causas & in actu, respectu Dei æternitatis; quam absurdum sit dicere hoc instanti, *Petrus fuit*, præscindendo ab eo, quod aliquandò est extrà causas & in actu respectu Dei æternitatis; sed hoc omnes fatentur esse absurdum, ergò & illud absurdum esse fateri debent; consequentia tener à pari. Minorem probat communis consensus: probatur major, quia existentia Petri aliquandò, tam est fundamentum futuritionis, quam præteritionis, ergò, &c.

CLXII. Confirmatur: ex D. Thoma in 1^{um}. Dist. 36. q. 1. art. 5. ad 2^{um}. *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat*. Quod est conforme 1^a Resolutioni, & hujus evidentè confirmativum, *Quia non habet causam determinatam*, puta neque pro hoc instanti, ut omnes fatentur, neque pro alio, quia non potest dici determinata, nisi quatenus ejus determinatio eo instanti, quo aliquandò est, est extrà causas & in actu in Dei æternitate juxta 1^{am} Resolutionem. Et q. 16. de malo art. 7^o. *Quæ sunt ad utrumlibet non possunt præcognosci in suis causis determinatè; sed sub disjunctione, utpote, quia erunt, vel non erunt*. Limita prout præscinditur ab eo, quòd sint extrà causas, & in actu in Dei æternitate, eo instanti, quo aliquandò sunt, consequenter ad hunc ejusdem locum. q. 2. de

verit. art. 12. Ex quo patet contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit: unde impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt; ergo, &c.

CLXIII. Objicies tamen, hæc Propositio *Petrus cras curret*, est determinatè vera, vel determinatè falsa, haud secus quàm si Deus illam proferret, quia, vel Deus videt Petrum cras cursurum, vel non; ergo, &c.

CLXIV. Confirmatur, Petrus cras curret, Petrus cras non curret, consequenter ad decretum Dei de earum futuritione vel non futuritione sunt contradictoria, ergo alterum est determinatè verum, alterum determinatè falsum, ergo, &c.

CLXV. Respondeo distinguendo assumptum, si hæc Propositio *Petrus cras curret*, sumatur quatenus ejus objectum aliquandò est, vel non est extrà causas & in actu, respectu Dei æternitatis, est determinatè vera vel determinatè falsa, concedo assumptum: si sumatur quatenus instans, in quo ejus objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, nego assumptum; quia ut sic non habet esse, vel non esse determinatum; non quidè hoc instanti, ut fatentur omnes; neque eo instanti, quo aliquandò est prout hoc instans respicit, quia ut sic præscindit ab eo, quod est extrà causas & in actu in Dei æternitate, & alioqui dici deberet præfens; quod autem ita præscindit, non distinguitur à purè possibili, ut suprà num. 159. vidimus, & reverà scirem libenter quid sit rei futuritio hoc instanti prout hoc instans rei existentiam præcedit (quomodò hoc instans in nostra Resolutione sumitur) distinctum à re purè possibili hoc instanti, prout hoc instans rei existentiam præcedit & à re ut præsentì distinguitur.

Ad Confirmationem

CLXVI. Respondeo, negando assumptum, quia ista non sunt contradictoria, nisi sumptis eorum objectis, quatenus in instantibus, in quibus enuntiantur aliquandò esse, vel non esse, sunt extrà causas & in actu in Dei æternitate, ut consideranti patebit.

RESOLUTIO III.

CLXVII. **D**ico 3°. omnes Propositiones singulares de futuro contingenti consideratæ antecederent ad omne decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, sunt determinatè falsæ. Sed

Antè probationem

CLXVIII. Nota 1°. suprà à num. 154. semper suppositum causam sese determinaturam ad ponendum vel non ponendum effectum tempore per copulam significato, quia hujus Propositionis, *Petrus cras curret*, consequenter ad decreta Divina ad actiones creaturarum necessaria, est hic sensus, *Petrus cras sese determinaturus est ad currendum cras*: Hic verò supponitur causa mansura indifferens tempore per copulam significato ad se determinandum ad ponendum effectum, vel ad se determinandum ad non ponendum effectum, quod est longè diversum; quia causa & effectus considerantur pro statu, quo nullum est decretum Dei, sive de illis creandis, sive de concurrente cum causa ad ponendum effectum tempore per copulam significato; ac proindè considerantur ut indifferentes ad futuritionem, vel non futuritionem.

CLXIX. Nota 2°. in omni Propositione de futuro contingenti, sive electivo aut eligibili, subaudiendum contingenter, sive liberè, ut, cum dico, *Petrus cras curret*, sit hic sensus, *Petrus cras contingenter, sive liberè curret*; aliàs non esset de futuro contingenti, sive libero, ut consideranti patebit. His notatis

CLXX. Probatur Resol. quia antecederent ad omne decretum Dei, &c. earum objectum consideratur indifferens ad futuritionem vel non futuritionem contingenter sive liberam; sed illæ enuntiant objectum habere futuritionem, vel non futuritionem contingenter sive liberam, ergo, &c. minor probatur, quia tum ipsum objectum antecederent ad omne decretum consideratur indifferens ad esse & non esse; tum causa ipsius libera, consideratur indifferens, tam ad esse & non esse, quàm ad operandum liberè, vel non operandum liberè; ad objecti verò futuritionem, vel non futuritionem contingenter sive liberam, requiritur objectum futurum, vel non futurum, & tam causam esse, quàm operanturam esse liberè, vel non operanturam esse liberè, ut patet; quia alioqui objectum non esset nisi indifferens ad esse futurum, vel non esse futurum; ad esse contingens sive liberum, & non esse contingens sive liberum; de quibus non procedit Resolutio, ergo, &c.

CLXXI. Probatur major, quia illæ Propositiones, ut patet ex his & similibus Propositionibus, *Petrus cras curret*, *Petrus se determinaturus est ad currendum cras*, non enuntiant objectum habere necessitatem ad cras currendum, aut indifferentiam causæ ad se determinandum ad cras currendum; nam sunt eadem in modo enuntiandi, ac de objecto considerato consequenter ad decreta Divina, & tota distinctio est in objecto; ergo enuntiant objectum habere futuritionem, vel non futuritionem contingenter sive liberam, licet illam objectum non habeat, unde fit, quod omnes sint determinatè falsæ.

CLXXII. Confirmatur, quia ideò Aristoteles dixit Propositiones universales de futuro contingenti, ut *omnis homo curret*, esse determinatè falsas, quia æquivalenter supponit non esse decretum efficax de cursu omnium, ergo, &c.

CLXXIII. Objicies 1°. *Ab eo, quod res est vel non est, Propositio est vera, vel falsa*; sed objectum illarum Propositionum antecederent ad omne decretum Dei, &c. nec est futurum, nec non futurum contingenter, utpote indifferens ad futuritionem & non futuritionem; ergo Propositio enuntians tale objectum, non erit determinatè falsa.

CLXXIV. Respondeo distinguendo istud axioma, *Ab eo quod res est, vel non est, sumpta à parte rei, Propositio est vera vel falsa*, nego antecedens; nam alioqui hæc Propositio, *Paries est albus*, esset simul vera & falsa, quia à parte rei paries, quatenus habet albedinem est albus, quatenus habet nigredinem, non est albus; *Ab eo quod res est, vel non est*, prout per Propositionem enuntiat esse à parte rei, Propositio est vera vel falsa, concedo antecedens; in casu autem conclusionis enuntiat objectum esse à parte rei contingenter futurum, vel contingenter non futurum, quale tamen non est à parte rei.

CLXXV. Instabis, ut Propositio sit determinatè falsa, debet enuntiare objectum determinatè futurum, quod est determinatè non futurum; atqui dictæ Propositiones solum enuntiant objectum determinatè futurum, quod nec est determinatè

minatè futurum, nec determinatè non futurum, sed indifferens ad utrumque; ergò, &c. Probatur maior, quia alioqui si objectum, quod enuntiat determinatè futurum, nec sit determinatè futurum, nec determinatè non futurum, Propositio nec erit determinatè falsa, quia objectum non erit determinatè aliter, quàm enuntiat; nec determinatè vera, quia objectum non erit determinatè, sicut enuntiat; sed abstractivè, nec determinatè scilicet aliter, nec determinatè sicut; ac proindè, nec erit determinatè falsa, nec determinatè vera, saltem positivè; licet futura sit falsa negativè, id est, non vera positivè; & vera negativè, id est, non falsa positivè.

CLXXVI. Respondeo, distinguendo majorem, ut Propositio sit determinatè falsa, debet enuntiare objectum determinatè futurum, quod saltem est determinatè non futurum negativè, concedo majorem: quod est determinatè non futurum positivè, sive ex libera electione non futuritionis, nego majorem: hoc enim est superfluum, ut Propositio de futuro contingenti sit determinatè falsa, & prius sufficit; quia illa Propositio est determinatè falsa, cujus objectum non est determinatè sicut per Propositionem enuntiatur esse à parte rei: non verò cujus objectum est aliter positivè, ut v. g. ex determinatione voluntatis, quàm per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; alioqui in casu Resolutionis hæc Propositio, *tempus præteritum existet*, non esset determinatè falsa; quia in casu Resolutionis ejus objectum, non est aliter positivè, sive ex determinatione voluntatis futurum, quàm per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; imò id implicat; sed negativè tantum: Item hæc Propositio facta de nuda substantia, *Substantia est alba*, non esset determinatè falsa; quia ejus objectum non esset aliter positivè, puta nigrum, quàm per Propositionem enuntiatur esse à parte rei, sed negativè tantum, puta non album: undè patet ad probationem majoris.

CLXXVII. Urgebis, si ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus cras currat*, foret determinatè falsa, sufficeret cursum Petri esse cras non futurum negativè; ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus cras non currat*, foret determinatè vera, sufficeret cursum Petri cras non esse futurum negativè; contradictorium enim contradictoria est ratio: sed consequens est contrà conclusionem; sic enim negativæ Propositiones de futuro contingenti antecedenter ad omne decretum, &c. essent determinatè veræ; ergò illud undè sequitur est absurdum.

CLXXVIII. Respondeo, negando sequelam; quia plus requiritur, ut Propositio sit vera, quàm ut sit falsa; nam ad hoc sufficit illius objectum non esse, sive negativè, sive positivè, sicut per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; ad illud verò debet præcisè esse à parte rei sicut per Propositionem

enuntiatur esse à parte rei; cum autem dicitur, *Petrus non currat*, prout est Propositio de futuro contingenti, enuntiatur cursum Petri non esse futurum positivè, sive ex libera dispositione voluntatis: adde tamen quod, *Petrus currat*, *Petrus non currat* prout sunt Propositiones de futuro contingenti, non sint contradictoriæ; quia illarum hic est sensus, *Petrus libere ponet cursum, Petrus libere ponet non cursum*, quarum utraque est affirmativa, & utraque falsa antecedenter ad omne decretum, &c. ut consideranti patebit, contradictoriarum verò altera affirmativa, altera negativa; altera vera, altera falsa.

CLXXIX. Dixi, Prout sunt Propositiones de futuro contingenti, quia de illis ut sic est sermo, non verò de affirmativa qualicumque, & purè negativa, ut *scammum currat*, *scammum non currat*; quia illa est impossibilis; hæc necessaria, ut patet.

CLXXX. Objicies 2^o. hæ Propositiones, *Petrus est se libere determinaturus ad currendum cras*, *Petrus non est se libere determinaturus ad currendum cras*, etiam antecedenter ad omne Dei decretum, &c. sunt contradictoriæ, ergò una earum est necessariò vera, altera falsa, ergò conclusio nulla.

CLXXXI. Respondeo, admissio antecedente, & 1^a. consequentiā, negando 2^{am}. quia 2^a Propositio non est negativa de futuro contingenti, sed de futuro necessariò, sicut hæc, *scammum non est se libere determinaturus ad currendum cras*, quam ultrò concedimus esse determinatè veram, sed de hac nihil in Resolutione.

RESOLUTIO IV.

CLXXXII. Dico 4^o. omnes Propositiones singulares de futuro contingenti consideratæ etiam consequenter ad omne decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, sed sumpto objecto quatenus eo instanti, quo aliquandò est, hoc instans respicit, & non quatenus eo instanti, est extrà causas & in actu in Dei æternitate, sunt determinatè falsæ.

CLXXXIII. Probatur, quia ut sic enuntiant objectum esse à parte rei determinatè futurum, id est, quod aliquandò est, quod tamen ut sic non est determinatè futurum, id est, quod ut sic numquam est; quia quod eo instanti, quo dicitur esse, præscindit ab eo, quod sit extrà causas & in actu in Dei æternitate, prout præscindit, numquam est, ut consideranti patebit, ergò, &c.

CLXXXIV. Confirmatur, quia hæc præcisio eodem modo se habet ad objectum suum, sicut præcisio à decreto de futuritione, vel non futuritione objecti; sed in hoc signo præcisionis, omnes illæ Propositiones sunt determinatè falsæ, ut probatum est Resolutione præcedenti, ergò & in isto signo præcisionis, omnes illæ Propositiones sunt determinatè falsæ.

DISPUTATIO SECUNDA

De Divisionibus Propositionum.

CLXXXV. Divisiones Propositionum in Præparamento Logico præmissimus, nunc autem circa distinctionem Propositionum inter se, dubia aliquot subiciemus, itaque sit

DVBIVM I.

An divisio Propositionis in Affirmativam & Negativam sit generis in species.

RESOLUTIO.

CLXXXVI. Dico, Divisio Propositionis in Affirmativam & Negativam est generis in species.

P 3

Probatur,

CLXXXVII. Probatur, quia habet omnia ad distinctionem generis in species requisita, ergo, &c. Probatur antecedens, quia ab utroque membro univocè & essentialiter participatur ratio Propositionis, & utrumque à se mutuo differt essentialiter, ergo, &c. Probatur antecedens pro 1^a parte, quia Propositio, quæ dividitur, est oratio, live enuntiatio alicujus de aliquo: sed id ab utroque membro, scilicet Propositione Affirmativa & Negativa, univocè & essentialiter participatur, ergo, &c. Probatur antecedens pro 2^a parte, quia habent oppositas tendentias & habitudines ætuum ad objecta, scilicet conjungendo terminos, vel dividendo, quæ sunt opposita, ergo, &c.

CLXXXVIII. Confirmatur, objectum directum Propositionis affirmativæ, quod est identitas objectiva, est oppositum objecto directo Propositionis negativæ, quod est non identitas; sed Propositiones mentales specificantur ab objecto directo; ergo negatio & affirmatio sunt inter se oppositæ, & per consequens differunt essentialiter.

CLXXXIX. Obijcies 1^o. ratio Propositionis per prius participatur ab affirmatione, per posterius à negatione; ergo divisio, &c. est analoga, & non univoca, & per consequens non est generis in species: probatur antecedens ex Aristotele variis locis dicente affirmationem esse priorem negatione.

CLXXXX. Respondeo 1^o. jam sæpius esse dictum, participationem rationis communis per prius & posterius non tollere univocationem; sed illam tantum, quæ, unum rationem communem propriè & primariò, aliud impropiè & per ordinem ad aliud, live secundariò, participat, ut fit in analogis.

CLXXXI. Respondeo 2^o. ad Aristotelem, eum solum velle, affirmationem esse priorem negatione prioritate dignitatis, cognitionis & simplicitatis: de dignitate & simplicitate constat; de cognitione probatur; quia negatio objectivè est aliquo modo non ens, affirmatio verò ens simpliciter; ens verò cognitione prius est non ente.

CLXXXII. Obijcies 2^o. affirmatio est ens, negatio non est ens; atqui ens & non ens non habent verum genus, ergo, &c.

CLXXXIII. Respondeo, distinguendo majorem, affirmatio est ens, negatio non est ens, objectivè, concedo majorem: repræsentativè & formaliter, nego majorem; ut sic enim est actus intellectus positivus; similiter distingue minorem.

CLXXXIV. Obijcies 3^o. negatio live Propositio Negativa componitur ex affirmatione live Propositione Affirmativa, ergo Propositio Affirmativa & Negativa non sunt specie distinctæ: probatur consequentia, quia inter specie distincta, una species non coalescit ex alia.

CLXXXV. Respondeo 1^o. negando antecedens, nam illud tantum verum est de Propositione vocali negativa, quam non volumus esse simplicem & adæquatè distinctam ab Affirmativa vocali, cum omnes voces ejusdem orationis, quæ sunt in Affirmativa vocali, contineantur in Negativa vocali: non de actu mentali negativo, quia actu mentali negativo est formaliter simplex, non secus ac affirmativus; unde componi non potest ex Affirmativo.

CLXXXVI. Instabis, affirmatio & negatio specificantur ab objecto, sed in ratione objecti non sunt distinctæ; ergo nec in ratione actus.

CLXXXVII. Respondeo distinguendo majorem, specificantur ab objecto adæquatè sumpto, concedo majorem; inadæquatè, nego majorem; objectum verò negationis adæquatè sumptum est specie distinctum ab objecto affirmationis, quia includit unam negationem, scilicet identitatis inter extrema; quam non includit objectum affirmationis, ut patet.

CLXXXVIII. Obijcies 4^o. divisio hæc est secundum qualitatem; sed qualitas est accidens, ergo divisio hæc est secundum accidens.

CLXXXIX. Respondeo distinguendo majorem, Divisio hæc est secundum qualitatem Logicam & accidens Logicum, concedo majorem; unde supra diximus per affirmationem & negationem tantum describi Propositionem in genere: secundum qualitatem Phisicam & accidens Phisicum, quod tantum tollit divisionem generis in species, & facit divisionem subiecti in accidentia, nego majorem: nam alias divisio substantiæ in corpoream & incorpoream, animalis in rationale & irrationale, non esset divisio generis in species, sed subiecti in accidentia, quod aperte falsum est.

CC. Obijcies 5^o. compositio est prior divisione; sed affirmatio est compositio; negatio verò divisio, ergo affirmatio est prior negatione.

CCI. Respondeo distinguendo majorem, compositio realis quantitativa & objectiva est prior divisione reali quantitativa & objectiva, concedo majorem; compositio est prior divisione mentali, nego majorem; nam aliqui Propositio falsa necessariò foret prior verà, & judicium falsum prius verò; adeoque mendacium prius veritate; nam deberemus prius judicare hominem esse brutum, furem, &c. in hac Propositione, *Homo non est brutum, non est fur*, &c. quam negare, quæ sunt absurda, cum contrarium experiamur, & illi actus sunt ab invicem independentes.

CCII. Obijcies 6^o. ex communi Theologorum sententia, omnes Propositiones fidei sunt ejusdè speciei, live affirmativæ sint, live negativæ, ergo, &c.

CCIII. Resp. distinguendo antecedens, omnes Propositiones fidei sunt ejusdè speciei, infimæ, nego antecedens: subalternæ, concedo antecedens: nam solum dicuntur ejusdè speciei propter idem motivum, videlicet auctoritatem revelantis; quia ab uno & eodem habitu fidei formantur, &c. eo autem non obstante dici possunt diversæ speciei infimæ, propter sua objecta materialia diversæ speciei: idem dic de omnibus hæresibus, quæ dicuntur etiam ejusdè speciei, quia recedunt omnes à motivo fidei, scilicet primâ veritate, &c.

CCIV. Obijcies 7^o. Propositio affirmativa infinitans æquivalet negativæ: hæc v.g. *homo est non brutum* æquivalet isti, *homo non est brutum*; ergo Affirmativa & Negativa non sunt diversæ speciei.

CCV. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem; Propositio enim Affirmativa infinitans non æquivalet negativæ; nam Negativa negat copulam, non verò infinitans, sed affirmat aliquod positivum de subiecto positivo; illa enim Propositio, *homo est non brutum* æquivalet huic, *homo est rationalis, est risibilis*, &c. quæ est specie distincta ab hac, *homo non est brutum*.

CCVI. Instabis, ly *non brutum* sumitur negativè, non verò positivè & neganter, ergo hæc Propositio *homo est non brutum* non æquivalet isti, *homo est rationalis, risibilis*, &c.

CCVII. Respondeo isto sensu concedendo totum;

tum; sed tunc illius hic est sensus, *homo est negatio bruti*, quæ Propositionio, præterquam quod sit falsa, est etiam specie distincta ab hac, *homo non est brutum*; unde nihil contra Resolutionem.

CCVIII. Dixi isto sensu, id est sumendo *ly non brutum* formaliter secundum quod dicit in obliquo, nam in recto dicit aliquod positivum.

CCIX. Obicies 8^o. datur in mente, & in voce, Propositionio Affirmativa & Negativa simul, id est, media & mixta qualitatis; sed duæ species non possunt misceri, ut patet in *homine & bruto*, ergo, &c.

CCX. Respondeo negando maiorem, quia essentia hujus judicii, v. g. *si Petrus non est, ejus negatio est* (quod dicitur Propositionio mixta qualitatis) consistit in una extremorum copula, quæ non potest simul affirmare & negare idem simul esse & non esse secundum idem: unde copula minus principalis verbalis est pars unius termini extremi, & in mente objectum 1^a operationis directum, non autem 2^a; quia dum dico, *si Petrus non est, ejus negatio est*, possum assentiri Propositioni, & non judicare quod Petrus non sit; ergo judicium non fertur in 1^{am} copulam. Quod

CCXI. Confirmatur 1^o. quia Propositiones Affirmativa & Negativa sunt contradictoriæ, inter quas non datur media vel mixta.

CCXII. Confirmatur 2^o. quia, si daretur mixta, non haberet contradictoriam, Affirmativam aut Negativam; ac proinde nullam, quod est intelligibile, ergo, &c.

CCXIII. Confirmatur 3^o. hæc mixta, quodlibet est vel non est, est simpliciter Affirmativa; si enim apponatur negatio, ut, *non quodlibet est, vel non est*, habebis contradictorium illius negativum: unde habes in illis Propositionibus (quas abusive nonnulli vocant mixtas secundum qualitatem) nullam esse copulam principalem verbalem explicitam; sed *ly quodlibet est, vel non est*, totum esse prædicatum; copulam verò principalem subintelligi, ut sit sensus, *neceesse est, quodlibet esse, vel non esse*: non enim possunt duo judicia distincta esse colligata disjunctivè, sic ut unum dicat *vel est*, aliud *vel non est*, nam colligatio se tenet ex parte objecti & terminorum, non ex parte actuum, quorum neuter esset, aut Affirmativus, aut Negativus absolute, uti judicium esse debet, & consequenter neuter esset judicium. Ex his verò

CCXIV. Colliges non dari Propositionem, quam vocant mixta qualitatis, id est, simul Affirmativam & Negativam, ut *arene maris sunt pares, vel non sunt pares*, ob rationes dictas: nisi malis dicere ibi esse duas Propositiones, unam Affirmativam, ut *arene maris sunt pares*, alteram Negativam, ut *arene maris non sunt pares*. Sed sit

QVÆSTIVNCVLA.

CCXV. QVæres an detur Propositionio mixta quantitatis, id est, simul universalis & particularis ex parte subjecti, ut v. g. *omnis hominis aliqua manus est dextera*.

CCXVI. Respondeo negativè, quia in similibus Propositionibus datur unicum subjectum, quod exprimitur in recto; illud autem est, vel universale, vel particulare, juxta naturam signi, quo afficitur. Nec refert, quod in istis Propositionibus fieri possit duplex descensus copulativus ut v. g. *istius hominis aliqua*, id est, *ista*, & *illius hominis ista manus est dextera*, &c. & disjunctivus, ut v. g. *istius hominis aliqua*, id est, *vel hæc, vel illa manus est dextera*, & *illius hominis*, &c.

quia hinc tantum sequitur ex parte subjecti reperi duas voces, sub quibus liceat descendere distributivè & disjunctivè: imò et si daretur talis Propositionio, non esset tamen tertia species distincta à particulari & universali; sed uno respectu contineretur sub universali, alio respectu sub particulari, prout contingit in substantia, quæ latius sumpta pro completa & incompleta, adæquatè dividitur in corporalem & spiritualement, licet detur una composita ex utraque, scilicet *homo*, sic ut *homo* quæ corporeus sub substantia corporali ponatur, quæ vero animatus sub spirituali.

D V B I V M I I.

Qualis sit Divisio Propositionis in Universalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem.

R E S O L U T I O.

CCXVII. Dico, Divisio Propositionis in Universalem, Particularem, Indefinitam & Singularem est generis in species.

CCXVIII. Probatur 1^o. ex præmissis Dub. 10. n. 186.

CCXIX. Probatur 2^o. illi actus distinguuntur inter se essentialiter, qui habent diversos ordines & modos tendendi in objecta; sed illi omnes sunt tales, ergo, &c. Probatur minor, quia Propositionio universalis dicit ordinem ad objectum suum ut copulativè sumptum, & in illud tendit modo copulativo: Propositionio particularis dicit ordinem ad suum objectum, ut disjunctivè sumptum, & in illud tendit modo disjunctivo: Propositionio indefinita dicit ordinem ad objectum suum indefinitè, & tendit in illud modo indefinito, id est, sic ut in illo ex parte modi concipiendi nulla appareat universalitas, particularitas, aut singularitas: Propositionio singularis dicit ordinem ad objectum suum determinatè & in actu exercito individualiter sumptum.

CCXX. Subsumo: atqui isti actus, ratione istorum ordinum & modorum tendendi in objecta diversorum, valde diversi sunt, non secus ac isti ordines: ergo ratione illorum distinguuntur essentialiter. Probatur consequentia, quia isti ordines ad objecta, & modi tendendi in objecta, sunt istis actibus essentialiter, ergo, &c.

CCXXI. Obicies 1^o. ista Divisio est secundum quantitatem; sed quantitas est accidens, ergo ista Divisio est secundum accides, & non generis in species.

CCXXII. Resp. distinguendo maiorem, ista Divisio est secundum quantitatem Analogicam & proportionalem, quia scilicet est secundum affectiones subjecti, quod habet se per modum materie, & affectiones illius per modum quantitatis, concedo maiorem; est secundum quantitatem propriam & univocè talem, nego maiorem.

CCXXIII. Obicies 2^o. Propositionio universalis tantum distinguitur à particulari in eo, quod ad plura extendatur, quam particularis; atqui extensio major non videtur inducere diversitatem specificam, ergo, &c. probatur minor, quia alioqui visio extensior distingueretur specie à visione objecti ejusdem speciei minus extensa, quod est absurdum, ergo, &c.

CCXXIV. Resp. negando maiorem quia cum haud minus Propositionio Particularis in subjectum copulam & prædicatum tendat, quam Universalis, nec imago Universalis, &c. censerentur ejusdem extensionis, quo dato, Universalis non distingueretur à particulari; distinguitur ergo Universalis à Particulari ratione diversi ordinis & modi tendendi in objecta: nam Universalis tendit in objectum

ut modificatum signo Vniuersali, adeoque modo Vniuersali & distributivo; Particularis verò tendit in objectum suum ut affectum signo particulari, ac proinde modo particulari & disiunctivo; singularis autem modo singulari, ut dictum est supra: & sic patet ad minorem, & ejus probationem; nam visio, siue sit actus simplex, siue compositus, tendit in objectum simpliciter ut coloratum & extensum, non verò tendit in illud ut tali vel tali modo modificatum, cum tali vel tali modo tendendi, &c.

D V B I V M I I I.

An divisio Propositionis in Apodicticam & Dialecticam sit generis in species.

R E S O L U T I O.

CCXXIV. **D**ico, divisio Propositionis in Apodicticam & Dialecticam est generis in species.

CCXXV. Probatur, quia Apodictica & Dialectica æquè participant rationem Propositionis: utraque enim est vera Propositio; deinde ratio seu motivum assentiendi est formaliter diversum; quia in Apodictica motivum illud est connexio terminorum necessaria relucens in intellectu, quæ terminat assensum firmum & evidentem; in Dialectica verò est tantum connexio relucens verosimilis vel contingens, quæ terminat assensum probabilem, infirmum, & inevidentem.

CCXXVI. Confirmatur: Dialectica ex se non excludit dubitationem, illique falsum subesse potest; Apodictica verò ex essentia sua illam excludit, & illi falsum subesse nequit, ergo, &c. Pro solutione Argumentorum.

CCXXVII. Nota 1^o hanc differentiam motivorum assensus, & Propositionis divisionem, esse secundum materiam circa quam, siue circa aggregatū ex subiecto, prædicato & copula; quia in materia Propositionis est necessitas, vel probabilitas, quæ non est in forma syllogistica, siue in modo & figura; unde

dè fit, ut subiectum & prædicatum sint materia respectu copulæ, quæ intar formæ determinat Propositionem ad affirmationem, vel negationem: subiectum, prædicatum, copula simul sumpta sunt materia respectu modi & formæ syllogisticæ, quæ materia determinatur per formam, ut sit major, vel minor Propositio, cum tali, vel tali dispositione mediū ad inferendam conclusionem.

CCXXVIII. Nota 2^o. præter actum scientiæ, id est, assensum Apodicticum seu demonstrativum, qui tendit in objectum certum, evidens, immutabile, siue æternæ veritatis, & præter opinionem siue assensum Dialecticum & probabilem, qui tendit in objectum incertum, inevidens, & immutabile; dari præterea assensum certum & evidentem, sed mutabilem & contingentem, v. g. *Ioannes ludit*, si videam ludentem; hic tamen tertius assensus non est mediū inter demonstrativum & probabilem, sed reducitur ad demonstrativum; posito enim quoddam Ioannes videatur ludere, necessario infallibiliter ludit; quia tamen non est immutabilis & necessarius assensus antecederet ad existentiam objecti, hic assensus non deservit demonstrationi Aristotelicæ.

CCXXIX. Dices, claritas major & minor non mutant speciem visionis, ergo nec scientia, & opinio mutant speciem intellectiōis.

CCXXX. Respondeo, negando consequentiam; disparitas enim est, quoddam scientia & opinio habeant diversa lumina objectiva; opinio incertum & infirmum, scientia certum & firmum, quod in majori & minori claritate non contingit: argumentum autem tantum probat claritatem maiorem & minorem opinionis non differre specie, sicut etiam claritas major & minor scientiæ non differunt specie, quod ultro concedimus; sed in præsentī intellectiōes non specificantur penes maiorem & minorem claritatem; bene penes maiorem & minorem certitudinem ac firmitatem: objectum enim Propositionis Apodicticæ est certum & firmum, secus objectum Propositionis Dialecticæ.



TRACTA-